

LIBER TERTIVS

PERSPECTIVAE VITELLIONIS




In præmissis libris mathematicalia & naturalia principia præmissimus, per quæ, prout nostra possibilitas fert, nostri propositi cõsequentia intendimus declarare. Volentes autẽ formarũ naturalium actiones sub triplici uidendi modo prosequi. s. illo qui fit per simplicem uisionẽ, & eo qui per reflexionẽ & illo qui per refractionem. In hoc tertio libro prosequimur modum simplicis uisionis, & dispositionẽ propriã organi uisui. Supponimus autẽ hæc quæ sequuntur in locis alijs declarata, uel ut per se ipsa nota. Visionem non compleri nisi apud peruentum formæ uisibilis ad animam. Item quod per se uisibilia sunt tantum duo, scilicet lux & color, quoniam lux se ipsa uidetur, & ipsa est hyposthasis colorũ, alia uero per accidẽs uisibilia sunt, utpote remotio, magnitudo, situs, corpẽitas, figura, cõtinuitas, separatio uel diuisio, numerus, motus, quies, asperitas, lenitas, diafonitas, dẽsitas, umbra, obscuritas, pulcritudo, deformitas, consimilitudo & diuersitas. Hæc enim non solum uisu, sed alijs sensibus cõprehenduntur. Item petimus lucẽ fortẽ ledere uisum diutius intuentem. Item rem maioris quantitatis, quàm sit oculus, oculo uideri. Item rem uisam secundũ situm, figuram & ordinem suarum partium uideri. Item uisum simul diuersa uisibilia uidere. Itẽ ab ambobus uisibus simul unam rem uideri. Itẽ quod color nõ est motiuus uisus nisi secundũ actũ lucidi. Item sine contactu uisionẽ nõ fieri, sicut nec aliquã actionẽ naturalẽ. Item uirtutẽ uisua finitam esse, & non extendi in infinitum.

THEOREMA I.

Visibili lucem actu non participante, ipsum impossibile est uideri.

Quæ enim, ut suppositum est, per se sunt uisibilia, sunt lux & color; lux autem non




est uisibilis præter se, & etiam lux cũ sit hyposthasis colorum, non est possibile colores uideri sine luce, forma enim coloris est forma debilior quàm sit forma lucis, cum color sit quædam lux incorporata corporibus mixtis. Visus ergo non recipit formã coloris rei uisæ, nisi ex luce admixta cum forma coloris, & propter hoc alternantur colores multarũ rerum apud uisum per alternationẽ lucis orientis super ipsas; & si color, qui est per se uisibilis, non est motiuus ipsius uisus, nisi secundum actum lucidi, patet quod omni uisibili actu lucem non participante ipsum impossibile est uideri, patet ergo propositum.

II.

Inter quodlibet punctum superficiei rei uisibilis, & aliquod punctum superficiei uisus produci post se lineas rectas est necesse, ut res actu uideatur, ex quo patet, solum in oppositione rei uisæ ad uisum fieri uisionem.

Visio enim siue fiat ex eo quod radij egrediuntur à uisu super puncta rei uisæ, siue ex



hoc, quod formæ punctorum rei uisæ per lineas radiales perueniant ad superficiem organi uisui, semper necesse est inter quodlibet punctum superficiei rei uisibilis, & aliquod punctum superficiei uisus produci posse lineas rectas, ut res uideantur actu; unde cum hæc lineæ secundũ quodcunq; propositum modum produci possunt, fit uisio, nisi forte propter alterius impediementi resistantiam uisus fuerit impeditus. Cum itaq; uisus fuerit oppositus rei uisæ, uidebit ipsam; & cũ aufertur ab eius oppositione, non sentiet ipsam, & cum reuertetur ad oppositionẽ,

reuer